



## The Holy See

---

*LITTERAE SSMI D. N. LEONIS XIII  
AD HERBERTUM STORY PRAEFECTUM ET VICE-CANCELLARIUM,  
ITEM RECTOREM, DOCTORES ATQUE AUDITORES  
UNIVERSITATIS STUDIORUM GLASGAENSIS (GLASCOW),  
RECOLENTES HIS DIEBUS ANNUM 450  
AB INSTITUTIONE ISTIUS UNIVERSITATIS\**

lucundas scito Nobis communes litteras vestras fuisse. Memoriam beneficiorum colere, multoque magis ferre prae se palam ac libere, virtus est non humilia nec angusta sentientis animi: atque istiusmodi virtutem libet quidem in vobis agnoscere, studiorum optimorum ingeniique decora praecclare cumulantem. Quod enim Lyceum magnum, ubi vestra omnium desudat industria, debet Apostolicae Sedi origines suas, idcirco sub solemnia eius saecularia ad romanum Pontificem vestra provolavit cogitatio memor, atque ultiro arcessivistis Nosmetipsos in laetitiae societatem, tamquam desideraturi aliquid, si voluntatis Nostrae significatione in hoc tempore caruissetis. Evidem gratum habemus facimusque plurimi tale officium humanitatis cum iudicii aequitate coniunctum. Memoria autem vetera repetentes utique diversamur apud vos animo per hos dies, reique tam utiliter a Nicolao V. Pontifice maximo institutae cogitatione delectamur. Quo quidem instituto certe magnus ille decessor Noster de Scotorum genere immortaliter meruit; praeterea que et ipse in aperto posuit, romani pontificatus virtutem in elegantiam doctrinae, in studia irtgenuarum artium, quibus maxime rebus alitur humanitas gentium, ad incrementum suapte natura influere. Cetera istud maiorum disciplinarum nobile domicilium constanter florere cupimus salutarium ubertate fructuum et gloria nominis: Deumque omnipotentem comprecamur, ut doctos labores vestros omni in genere ad veritatem dirigere, vosque universos perfecta Nobiscum caritate coniungere benigne velit.

*Datum Romae apud S. Petrum die IX Iunii Anno MDCCCCI Pontificatus Nostri vicesimo quarto (1).*

---

\*ASS, vol. XXXIII (1900-1901), pp. 643-644.

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana